

Bibliothèque numérique

medic@

**Dumangin, Jean-Baptiste-Eugénie -
candidat / Deslon, Charles-Nicolas -
président. - An pro variâ aetate variet
temperamentum ?**

1767.

***Paris : Typis Quillau, Univers. &
Facult. Med. Parisiensis,
Typographi***

Cote : ms 2336 n°10



DEO OPTIMO MAX. UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS;
*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ secundâ mensis
Februarii, anno Domini M. DCC. LXVII.*

M. CAROLO-NICOLAO D'ESLON,
Doctore Medico Præsidente.


An pro variâ aetate variet temperamentum?

I.

GAUDENTIS sanè naturæ opus & rerum ejus peritissimis
lepidè perpendendum est, indefesso labore, corpus hu-
manum; tam à longè præcellens aliis, ut prodigia refe-
rant quæcumque in ipso patrantur, & jacens adhuc sit
miraculo. Partes ejus constitutivæ duplicis sunt ordinis
solidæ nempè & fluidæ. Solidæ partes illæ sunt quæ ita in-
ter se cohærent (a) ut unâ motâ aliæ cogantur moveri; sunt mere ter-
restres; si coadunentur & sibi invicem applicentur constituunt fibras, hæ
vasa minima, ex illis denique nascuntur membranæ, vasa majora & omnes
quæque partes organicæ. Fluidæ partes moleculis constant coacervatis sine
cohesionem contiguas quæ tactui levissimo cedunt & in se invicem (b) arie-

(a) Boerh.
Tract. de vit.
Med. cap. 1.

(b) Id. eod.
loc. c. 4.



tant; flexilitati, mollitie, & nutritioni partium solidarum dicatæ; intra eas perveniuntur & inde contentas vocaverunt ut & primas continentes: possunt autem crassitie, quantitate, miscelâ, firmitate, adunatione, nexu & intertextu variari, quam veritatem confirmat, actio perpetua, in quâ hominis vita peragitur: à primo enim conceptu ad finem usque certo mechanismo & irrequieto motu ducenda est. Exinde omnia evolvuntur phænomena physiologica, quorum præcipuum certè in toto vitæ decursu aspectui venit, habitus ille corporis, è quò ætates diversas esse judicatur; novum exoritur continuo spectaculum; unde pendeat inquirendum nobis est in mutatâ temperie, cum asseremus jam temperiem, tum ex variâ solidarum corporis partium conformatione & dispositione, tum ex diversâ principiorum quibus constant humores combinatione & proportionem exurgere & variari.

I I.

(a) Zypei fund.
Med. cap. 2.
act. 1.

(b) Vide in
Inst. Boerh. sa-
nitatis singula-
ris signa; quo
loco veterum
exponit opi-
nionem de
temperamentis.

QUÆNAM etenim antiquis fuit temperamenti definitio? Elementorum & qualitatum proportionem dixerunt (a) differentias quatuor primarias à siccitate, calore, frigore, & humiditate seligentes, totidem simplicia admiserunt temperamenta; ab iis temperata profluebant cum ab oppositis qualitibus, complexa cum à dissimilibus conflabantur. Deinde paululum ab hac methodo recedentes Medici, principes quatuor in corpore agnoverunt humores, sanguinem, bilem, phlegma & melancholiam; à prædominio alter utrius humoris nascebatur temperies simplex, complexa ex eorum miscelâ. Nullus revera solidorum corporis fit sermo in hac habitâ temperierum origine, nostram attamen stabilire ex iis ipsis opinionem facile potuerimus, si eorum humorum actionem in solidâ, horumque reactionem observaverimus, signa quibus eos distinxerunt vel levissime prosequentes. Sanguinis prædominium, ex carne molli & copiosâ, colore roseo, flexili mobilitate (b), venis amplis, notaverunt. Biliosam temperiem à pilis crispis, duritie corporis, colore fusco, pulsû celeri & duro, in iram propensione arguerunt. Phlegmaticam depinxerunt, glabritie cutis, pilis albis, tenuibus, tumore, mollitie, corporis, venis angustis. Melancholicæ denique temperiei indicantia habuerunt pilos nigerrimos, macilentiam ingentem, siccitatem maximam, vasa stricta, robusta; illa fere omnia signa è solidis corporis partibus desumpta, actionem reciprocâ dequâ supra nonne probant? Et res ipsa sane per se patet: detur enim excessus solidorum exorientur nestatim siccitas, durities, calor, crassities; si contra, corpus tunc erit molle, tumens, humidum, ignavum & frigidum, proportionem solidorum cum fluidis temperiem immutare posse quis jam neget? Solidarum partium conformatio & dispositio varietatem inferre pariter dignoscitur, quod inde pendeant fibræ proprietates, durities, crassitudo, debilitas, robur, elaterium sensibilitas & mobilitas. Denique principiorum quibus constant humores combinatio & proportio quam maxime hic agere, facillime probandum incumbit; omnes humores è sanguine ortum ducere, notum est omnibus, pariter in sanguine adesse ab omnibus concessum datur; at sanguis partibus heterogenis constans pro variâ earum miscelâ naturam suam coercet atque evariat; modo roseus, modo niger, aut flavescent; tunc spissus, tenax, viscidus, terreus; tunc fluidior, levis, aquosus; præterea salinas, & oleosas partes immanentes continet, sed horum omnium pars exuperans caractere suo massam integram signabit, sit ita mihi in concessum ex iis omnibus temperiem nasci & variari; ex concessio variari esse propriâ ætate in medium proferre juvat.

UT individuos inter à naturâ, colore; appetituum contrarietate observatur dissimilitudo; sic & major adhuc ætates denotat. Infantibus enim corpus habitu molle & pinguescens, calor mediocris, cutis alba, è flavo ciner ea coma, cæruleus oculus, pulsus frequens, crebra fames, digestio præceps, agendi desiderium & hilaris animus: pars vitæ felicissima, paucis obnoxia incommodis. Cum verna transiit illa prima ætas, jam sobolescit novus rerum ordo; florem vitæ dicunt & deliciarum tempus; utinam! Revera marcescit corpus, elongatur, inquietudo & dolor omnes perreptat articulos, ardent cor & thorax, decoloratur facies, languescit animus, aut raptim passionibus movetur; sicque vis generandi à malorum serie auspicatur. Vir factus homo robustus & potens undique viget dure illi exprimuntur muscoli, faciei lineamenta caractere firmantur, laboribus, vigiliis, inedia, incommodis, & excessui cuilibet paratus, mentis & voluntatis compos est. Corruunt omnia: vix enim ad perfectiorem adolevit organisationem corpus cum jam ad insensibilem, sed certam ruinam trahitur, nudatur frons, albescunt tempora, rugatur arida cutis, præmit senium, titubat incessus, dentes labuntur, & caduca fit, motu & calore deficientibus, mox peritura machina. Quid plura de ætatum caracteribus? Unicuique per se inclarescunt; ast harumcè differentiarum causa quasi cincta nube involvitur: namque nunc citiori, tardiori nunc gressu (a) progrediuntur, & in infinitum pro variis, regionis, loci, rationisque vivendi circumstantiis, mutationum divagatur circulus. Quæque tamen sit, in corporis ejusque partium solidarum & fluidorum mobili statu aderit: si proinde attempto phænomena prælata indagaverimus animo, forsan è commentario brevi elucebit; rem ergo agamus.

I V.

NASCENS puer (a) mucilagine undique constans, soliditatem aliquam vix adeptus, in omnibus sui partibus, porositate quàm maximâ, spongiosam præbet compagem, liquoribus facillime perviam; ejus fibræ graciles & ut totum corpus teneræ adhuc, à motu, & applicatione solidarum molecularum superveniente, nundum satis concreverè quàm ut iis detur firmitas & robur (b). Laxæ proinde & ab adipe multâ levigatæ, actiones quasque jucunde exercentes, calorem moderatum suppeditare queunt; paulatim augetur corpus, è die in diem accumulantur solidæ partes, vaporum minimorum angustantur extrema resistantia crescit, crescunt vires, remissior fit interea vegetatio, excessus manifestatur, functioque nova exurgit. Velantur tunc à naturâ ventris infimi partes, decocta vox raucedinem sonans succi novi seminalis præsentiam indicat, qui, quæcumque sit ejus natura, eam in ipsi destinatis secretoriis solum modo accipit unde continuo versus anteriora reforbetur (c); spiritus quibus abundat, in arterias & cor dispergit. Firmatur & exsiccat magis ac magis corpus, vernat sanguis sæpiusque in incendia furit. Dum vero ille mechanismus agat continuo, & ab ejus effectibus solida corporis crescant liquores superantia, solida coagmentari solidis necesse erit angustataque capillaria vasa infarciri, sed quibus id acciderit, iis jam mors est; lenique prima creant rudimenta, & interitus necessitatem (d) inferunt. Quod fibris tempore corrente accidit, idem eadem de causâ fit humoribus; mutantur enim, quin contrariam pas-

(a) Hist. Nat. Buffon, edit. in-12. t. 4. pag. 239.

(a) Boerh. Instit. Med. n°. 47.

(b) Boerh. Instit. Med. n°. 467.

(c) Vide Thef. sap. M. Macquart, an à semine partium robur?

(d) Vide Thef. an homini maturo senescere & ultimum mori, tam naturale tamque ineluctabile sit quam adolevisse & maturasse.

(c) Boerh. de
vis. Med. c. 4.

sim induunt indolem; liquores omnes cum intra vasa seu cava solida contineantur, nullusque reperiendus sit extravasatus in nostrâ machinâ (e) sequitur ut mutatio omnis in vasis absolvatur: sed à triplici tantum fonte eam mutuari possunt. 1°. Ab eorum intestino motu, constant humores omnes, quorum alii visceri, alii volatiles, acres alii, &c. reperiuntur, partibus heterogeneis motu continuo semper in se ipsis relictantibus. 2°. A motu communicato, conquassantur etenimvolvuntur & teruntur ab actione vasorum; unde dissipantur volatiles & aquosæ partes, exaltantur acres, inspissantur terreae & viscidæ. 3°. Denique à novi liquidi ad mixtionem, sed in præmissis auram seminalem vidimus pro certâ ætate liquoribus aliis profluentem, eam à spiritu quam vivaci, vivide ardere diximus, ergo asseretur inde discrimen ingens. Humores præterea & solida mutuâ & reciproca actione in se ipsis agere nemini novum, mutantur itaque pari modo & ratione, effectusque omnes anterioris paragraphi patrare nec impares erunt.

V.

QUAM ex posui mox opinionem ut neotericis sic veteribus consentaneam esse affirmare non dubito. Ætates enim non ab annorum numero sed mutationibus temperiei, deficientes esse nos docet Hippocrates (a) temperiem diversarum ætatum eloquitur (b) morbos varii generis, provariâ ætate dari, plusve aut minus inferre periculi, nos monet (c) huic medicæ artis principi ubique conciliantur Celsus (d), Orisbafius (e), Philaretus (f), Ætius (g), Actuarius (h); & quidem solida contra difficultas nulla nobis sonat; ne ergo sapientis effatum, quo ut rerum omnium sic & Litterarum intemperantiam dari exprobratur, dictum sit nobis; concludere non moramur.

(a) Vall. in
Epid. Hippoc.
l. 6. f. 8.

(b) Hip. Aph.
54. f. 1.

(c) A 24. Aph.
ad finem, f. 3.

(d) Cels. l. 2.
c. 1. f. d. l. 1. c. 3.

(e) Orib. Eup.
l. 1. c. 11.

(f) Phil. l. de
puls. c. 11.

(g) Ætius retr.
3. f. 1. c. 23.

(h) Act. l. 1.
f. 3.

Ergo pro variâ ætate variat temperamentum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Carolus-Ludovicus- Franciscus ANDRY.	M. Joannes-Baptista- Alexander MAIGRET.	M. Hyacinthus-Theodorus BARON, Anti- quus Facultatis Deca- nus, necnon Castrorum Regis & Exercituum in Germaniâ & in Italiâ Proto Medicus.
M. Mathæus-Thomas LACASSAIGNE.	M. Josephus PAULIE.	M. Ludovicus-Maria POUSSE, Eques & Censor Regius.
M. Franciscus PORTIER DELAHOUSINIÈRE.	M. Joannes D'ARCET.	M. Antonius CASAMA- JOR, Censor Regius.

Proponebat Parisiis, JOANNES-BAPTISTA-EUGENIA
DUMANGIN, Castrotheodoricus, Doctor Medicus Bisuntinus,
Saluberrimæ Facultatis Parisiensis Baccalaureus, Theses Auctor,
A. R. S. H. 1767. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univers. & Facult. Med. Parisiensis, Typographi.